

ALIE ALIQUOT
CONSTITUTIONES
JUSTINIANI, JUSTINI, ET TIBERII.

EX LIBRO JULIANI ANTECESSORIS.

PRAGMATICA SANCTIO JUSTINIANI IMP. COMPLECTENS
VARIA CAPITULA.

I. Imper. JUSTINIAN. AUGUST., ut omnia firma sint, quæ Amalasiunta, vel Atalaricus, vel Theodatus concesserunt.

Pro petitione Vigilii venerabilis antiquioris Romæ episcopi quedam disponenda esse censuimus ad utilitatem omnium pertinentia, qui per Occidentales partes habitare noscuntur. In primis itaque jubemus, ut omnia quæ Atalaricus vel Amalasiunta regia mater ejus vel etiam Theodatus Romanis vel Senatu poscente concessa sunt, inviolabiliter conserventur: sed et ea quæ a nobis vel a piæ memoriæ Theodora Augusta quondam conjuge nostra collata sunt, volumus illibata servare, nulla cuiquam danda licentia contra ea venire, quæ a prædictis personis pro quibuscunque rebus vel titulis data vel concessa esse noscuntur, excepta videlicet donatione a Theodato in Maximum pro rebus habita Marciani: ex quibus dimidiam portionem Liberio viro gloriosissimo dedisse meminimus, reliquam dimidiam Maximo viro magnifico relictam, quas apud utramque firmiter manere censuimus.

II. Ut per Totilanem factæ donationes irritæ sint.

Si quid a Totilane tyranno factum vel donatum esse invenitur cuiquam Romano seu cuique alio, servare vel in sua firmitate manere nullo modo concedimus: sed res ablatas ab hujusmodi detentatoribus antiquis dominis reformari præcipimus; quod enim per illum tyrannidis ejus tempore factum esse invenitur, hoc legitima nostra notare tempora non concedimus.

III. Nemini noceat in captivitate gentium amissio instrumentorum.

Licet enim generali lege prospectum est ne instrumentorum amissio dominis, pro quibus instrumenta conscripta sunt, quodcunque præjudicium rerum possit inferri: tamen specialiter etiam per illa loca hoc renovare censuimus, cum sciamus per diversas calamitates et hostiles perversiones tam in ipsa civitate Romana, quam in aliis locis hominibus instrumenta perisse. Nequaquam igitur ex hoc quicumque patiantur calamitiam, aut aliquid sustineant detrimentum, sancimus, ut instrumentorum quidem amissionem vel corruptionem nullum præjudicium pro dominio vel possessione, pro credito, dominis rerum, vel possessoribus, aut creditoribus pro quibus instrumenta conscripta fuisse inferre pragmatum.

IV.

Sed et si quis res absentis vel etiam capti, forsitan greges, per suam aut cujuslibet auctoritatem invasit, vel petendo eas tenuit, reverso eo vel liberato, sine ulla dilatione jubemus restitui ipsi vel etiam heredibus ejus. Et si forte ille fatale munus subiit, etiam heredibus ejus restituitur, legis auctoritas suggerit.

V. Non præsumat quis alienum.

Quia autem verisimile putamus diversos tyrannidis tempore res suas per metum alienasse hominibus vel officium quodcunque gerentibus, vel aliam a Totila commissam actionem vel potentiam vel gratiam apud eum habentibus, sive venditione, sive aliis quibuscunque contracti titulis, modo vero quod factum est prius rescindi desiderare, utpote per violentiam vel per metum tyrannici temporis factum: sancimus omnibus esse licentiam sui recipiendi sive vindicandi, vel possessionis a iudice

1. L. 4, l. 5, C. de fide instrum. — 2. C. 15, infr. hic. — 3. Fac. N. 36. — 4. Fac. d. N.

adipiscendæ, prædiis tantummodo videlicet restitutis, qui tamen eo qui se dedisse perhibet adprobante veraciter constitit exsolata, nec aliquo postea modo vel fraude subtracta, vel ab eo recepta: cum non absque ratione esse putamus multa tunc tempore per metum vel violentiam facta esse, quæ nostris temporibus rescindi exposcit iustitia, pena videlicet instrumentis inserta propter prædictas sanctiones modis omnibus quiescente.

VI. De tempore postliminii, id est, post captivitatem.

Cum autem Deo propitio nostro imperio sint omnes restituti, sancimus pro nostrarum legum auctoritate triginta necnon et quadraginta annorum præscriptionem, alias insuper, legibus locum habere, et suam tenere per omnia firmitatem: his duntaxat temporibus, quæ ab adventu tyrannorum bellica confusio comprehendit, nullatenus in præscriptionum curricula imputandis.

VII. Ut instrumenta irrita revocentur.

Cognovimus, dum hostilis ferocitas Romanam civitatem vel alias consideret, diversos contractus esse factos inter Romanos qui obsidebantur, vel etiam instrumenta conscripta: in præsentem vero quosdam prædictos contractus rescindere vel etiam instrumenta irrita revocare: sancimus, et si postea per hostilem incursionem hujusmodi documenta perierint, nullam esse licentiam quæ facta sunt, infirmandi, sed omnes contractus obsidionis tempore factos in sua firmitate durare instrumenti etiam competentem vim habituri, sed nullam per eorum amissionem dominis præjudicium generandum; quod enim rite perfectum est, per fortuitos belli casus veri subtilitatis non patitur ratio.

VIII. De rebus mobilibus vel immobilibus.

Res insuper mobiles vel immobiles seseque moventes, quas a Theodorici regis temporibus usque ad nefandissimi Totilæ superventum quocunque jure vel titulo Romani possedisse noscuntur per se vel usufructuarias vel alias personas, per quas unumquemque præcepit possidere, in posterum sine aliqua concussionem apud eos servamus, eo videlicet ordine quo per prædicta tempora easdem res possedisse noscuntur.

IX. Pro immunitate tributorum.

Ne autem tributorum exactionis intuitu habitatores patiantur molestias quarumcumque provinciarum, sancimus nullius majoris dignitatis officia pro exigendis functionibus dirigi, sed per provinciarum iudices et eorum officia quodcunque damnum collatores sustinere pro tributorum videantur exactione, licentia non deneganda majoribus iudicibus, et eorum officiis, si minus inlatæ fuerint functiones, ipsos iudices et eorum officia convenire, et quod minus est illatum exigere, et tam publicæ rationes, quam collatoris utilitas procuretur.—Dat. anno, die, et Cons. SS.

X. De confirmatione absolutiois tributorum.

Ipsarum etiam functionum solutionem per consueta loca vel tempora solenniter præcipimus fieri, nulla innovatione per hostilem adventum solutioni tributorum penitus inferenda, sed pro sua consuetudine vel nostrarum beneficiorum tenore sive ad arcem sive in provincia, unumquemque solutionem in posterum etiam celebrare.

XI. Ut leges Imp. per provincias ipsorum dilatentur.

Jura insuper vel leges Codicibus nostris insertas, quas jam sub edic-

36, in fin.

tali programmate in Italiam dudum misimus, obtinere sancimus: et eas duas postea promulgavimus constitutiones, jubemus sub edictali propositione vulgari ex eo tempore quo sub edictali programmate evulgatæ fuerint, etiam per partes Italiae obtinere, ut una, Deo volente, facta republica, legum etiam nostrarum ubique prolatetur auctoritas.

XII. De suffragio collatorum.

Provinciarum etiam iudices ab episcopis et primatibus uniuscujusque regionis idoneos eligendos et sufficientes ad locorum administrationem, ex ipsis videlicet jubemus fieri provinciis, quas administraturi sunt sine suffragio: liti etiam codicillis per competentem iudicem eis præstandis: ita videlicet, ut si aliquam collatoribus læsionem intulisse inveniantur: aut supra statuta tributa aliquid exegisse, vel in coemptionibus mensuris enormibus, aliisque præjudiciis vel gravaminibus, aut iniquis solidorum ponderibus possessores damnificasse, ex suis satisfaciunt facultatibus. Quod etiam si quis de administratoribus aut actionariis de præteritorum nefandorum tyrannorum tempore fecisse invenitur, ex suis facultatibus ei a quo abstulit, restituere jubemus, cum nos indemnitate subjectorum undique volumus procurari.

XIII. Ut proprietates unicuique restituantur.

Cum autem cognovimus inimicis Deo propitio diversis expulsis provinciis quosdam greges inventientes ab illis relictas, et suo vindicare eas dominio, licet ad alios antea pertinebant: sancimus causa discussa, quantum quidem ad eos pertinet, eis præstari. Si quid vero ab aliis agnosceretur, dominum sua recipere: quod vero excepto domino non cognoscitur, inter illos distribui, qui per eandem provinciam greges amississe inveniantur, divisione pro rata portione scilicet faciendâ.

XIV. De eo cui aliquid ablatum est, ut restituatur.

Si qui etiam collatorum per occasionem tributorum exactiones vel cujuslibet oneris prætextu, aut alio irrationabili modo a quibusdam in auro vel in speciebus læsi esse noscuntur: hoc etiam competentem, et cui ablatum est, jubemus sine ambiguitate restitui, ut undique provinciarum habitatores legitime sua recipiant, et nostri temporis possint felicitatem sentire.

XV. De servis qui tyrannorum tempore liberas duxerunt uxores.

Illud etiam præteritis capitulis inserendum esse censuimus: ut si qui per Gothicæ ferocitatis nefandissima tempora servi constituti liberas uxores inveniantur duxisse, vel etiam liberos hominibus ancillæ conjunctæ licentiam quidem libere persona discedendi per presentes nostros mereantur affectus, ancilla, videlicet vel servo in dominorum suorum jure remanentibus, nullo præjudicio dominis servorum vel ancillarum ex præterito tempore generando. Si vero in posterum etiam conjugia tendenda esse putaverint, nullum præjudicium circa libertatem propriam patiantur, filii vero maternam conditionem sequantur, quod etiam in illis, qui ex tali conjugio nati sunt, obtinere jubemus.

XVI. De servis et colonis ab alio detentis.

Servos etiam vel colonos, quos ab aliquo contigerit detineri, suis restitui dominis una cum mediæ temporis prole jubemus.

XVII. De Deo dicatis virginibus.

Cum autem tyrannicæ ferocitatis præsumptionem res etiam illicitas quasi permissas egisse sine dubio sit: sancimus, ut si qui mulieres Deo sacratas vel habitum religiosum habentes sibi conjunxisse inveniantur, nullam eis tenendi, vel dotes forte conscriptas iterum monasteriis vel ecclesiis, aut sancto proposito cui dedicatæ sunt, restituantur.

XVIII. Ne pro comparatione specierum collatores graventur.

Ne vero pro coemptionibus etiam quodcunque collatores detrimentum sustinere inveniantur, sancimus per unamquamque provinciam illarum fieri specierum coemptionem, que per eandem provinciam abundare noscuntur: neque enim ejus quod ibi non abunde nascitur, coemptionem non fieri palimur: pretiis videlicet pro specierum venalitate, quæ tunc temporis in foro rerum venalium obtinere noscuntur, statuendis, ipsis tamen pretiis specierum unicuique collatorum in tributorum imputandis exactionem, commerciis videlicet navium nullo modo prohibendis, ut et noster felicissimus exercitus possit nutriri, et collatores agrarias functiones ex abundantiam specierum commercio infandere valeant, distributione coemptionis pro arbitrio tam locorum antistitis quam primatum

5. L. 6, in fin. D. de extraord. criminib. — 6. Fac. Edict. 11, c. 1. — 7. c. 4, supr. hic. — 8. Fac. Edict. 11, c. 2. — 9. L. 24, D. de statu hom. — 10. Fac. L. 6, l. 7, l. 8, D. de pignori. rib. l. 3. D. de liberali causa. — 11. c. 12, supr. hic. — 12. Fac. L. 65, P. ad leg. Falcid. vide tamen L. 9, C. de iurcis. — 13. Fac. Edict. 11, c. 2. — 14. Adde L. 38, in fin. D.

uniuscujusque celebranda, ne collatores ex officiorum avaritia per quemcumque modum opprimi videantur.

XIX. De mensuris et ponderibus.

Ut autem nulla fraudis vel læsionis provinciarum nascatur occasio, jubemus in illis mensuris vel ponderibus species vel pecunias dari vel suscipi, quæ beatissimo papæ vel amplissimo senatui nostra pietas in præsentem contradidit.

XX. De mutatione solidorum, id est, monetæ.

Cum autem scimus veterum Romanorum principum solidos per illa loca facile inveniri, comperimus autem negotiatores vel alios quosdam propter mutationem solidorum dispendium aliquod collatoribus nostris inferre: sancimus, solidos Romanorum principum forma signatos sine permutationis dispendio per omnes provincias ambulare, et per eos celebrari contractus: eum, qui dispendium aliquod permutationi solidorum inferre præsumperit, pro unoquoque solido alterum tantum ei cum quo contraxerit, inferat.

XXI. Ut pretium satisfaciat et quod tulit quis.

Si quis etiam de rebus immobilibus ad alium pertinentibus aliquem ornatum vel materiam abstulisse invenitur modis omnibus restituere: vel si jam alicui injuncti sint adificio, pretio satisfacere coarctetur, ut undique nostrarum legum conservetur auctoritas. Instrumenta etiam quæ ad alios pertinentia, forte ab aliis detinentur, prioribus dominis jubemus restitui, ut omnes undique nostrarum legum adjutorio potiantur. Si vero instrumentum perisse invenitur, cujus exemplar apud alterum invenitur, utpote duobus scriptis authenticis, prout in contractis solitum est, ex eo quod apud partem alteram invenitur, aliud conscribi jubemus, et parti dari, cujus jam instrumenta perierunt, ut competentem possit habere cautelam. Sed et si quis instrumentum alienum sive ipse tollendo, sive quocunque casu invenendum malignitate vel incendit vel abscondit, aut corruptit, aut quocunque modo habere desierit, tunc quanti interest ejus, ad cujus jura instrumenta pertinebunt, is qui dolum fecit, satisfacere compellitur.—Dat. die, anno, et Cons. SS.

XXII. Ut annonæ ministretur medicis et diversis.

Annonam etiam quam et Theodoricus dare solitus erat, et nos etiam Romanis indulisimus, in posterum etiam dari præcipimus, sicut etiam annonam, quæ grammaticis ac oratoribus vel etiam medicis, vel jurisperitis antea dari solitum erat, et in posterum suam professionem scilicet exercentibus erogari præcipimus, quatenus juvenes liberalibus studiis eruditi per nostram rempublicam floreat.

XXIII. Ut civiliter inter se causas audiant.

Lites etiam inter duos procedentes Romanos, vel ubi Romana persona pulsatur, per civiles iudices exercere jubemus, cum talibus negotiis vel causis iudices militares immiscere se ordo non patitur.

XXIV. Ut mutationes in suo statu stent.

Reipublicæ permutationes etiam vel comparationes sive competitiones cum publico factas usque ad adventum sceleratæ memoriæ Totilæ in sua firmitate firmamus, si tamen nulli aliquid alio possidente competat.

XXV. Ut fabricæ publicæ serventur.

Consuetudines etiam et privilegia Romanæ civitatis vel publicarum fabricarum reparationi, vel alveo Tiberino, vel foro aut portui Romano sive reparationi formarum concessa servari præcipimus: ita videlicet, ut ex iisdem tantummodo titulis, ex quibus delegata fuerunt, præstentur.

XXVI. Ut per negotiatores coemptiones fiant.

Super hæc cognovimus Calabriae vel Apulicæ provinciæ possessoribus pro coemptionibus non inferendis superindictitium titulum impostum esse pro unaqueque millena, unde coemptiones per negotiatores annis singulis exerceri, in præsentem vero negotiatoribus specierum coemptiones recusare tentantes tam superindictitium titulum, quam coemptionis onus provinciæ possessoribus imminere, cum abunde mercatores sint, per quos possit exerceri coemptio: sancimus magnitudinem tuam hæc examinantem, si possibile sit, per negotiatores species comparatas inferri, collatores provinciæ nullatenus prægravari, cum superindictitio titulo semel eis imposto, coemptionis etiam onus inferre sit impossibile.—Dat. die, anno, Cons. SS.

de rei vindic. — 15. Ut. D. et C. de tabulis exhibendis. — 16. Adde L. 24, D. qui testam. fac. — 17. Adde L. 25, D. ad leg. Corneliæ de falsis. — 18. L. 1 et seq. C. de officio milit. iudic. — 19. Adde L. un. C. de navis Tiberinis. — 20. Fac. L. 27, c. 25, D. de usufructu et quemadmodum dicitur: L. 29, c. 2, D. de legat. 1. L. 1, l. 5, C. de sequeductu.

XXVII. *Ut qui voluerit ad presentiam Imp. navigare, non impediatur.*

Viros etiam gloriosissimos ac magnificos senatores ad nostrum accedere comitatum volentibus, sine quocunque impedimento venire concedimus, nemine prohibendi eos habituro licentiam, ne senatoribus nostris vel collatoribus debitus introitus quodammodo videatur excludi, sed etiam ad Italiam provinciam eundi eis, et ibi quantum voluerint tempus commorandi pro reparandis possessionibus aperimus licentiam, cum dominis absentibus recreari possessiones aut competentem mereri culturam difficile sit. Quæ igitur per hanc divinam pragmaticam sanctionem nostra statuit æternitas, magnitudo tua modis omnibus effectui mancipare observareque procuret, pena decem librarum auri imminente contra temeratores nostrarum jussionum. — Pragmatica data idib. August. CONS. IMPER. DN. JUSTINIANO P. P. Aug. anno 28, CP., BASILI V. C. anno 43, Narsur. ill. præposito sacri cubiculi: Antiocho V. magnifico præfecto per Italiam.

DE ADSRIPTITII ET COLONIS.

Imp. JUSTIN. AUGUST. Dominico præfecto.

Docuerunt nostram serenitatem Lygdunensium habitatores, et hoc nos docuerunt, quia ante proposuimus legem²¹ per quam iussumus adscriptitios vel colonos commiserunt se liberis mulieribus procreare filios ad similitudinem liberorum, et ex hoc detrimentari fundos et eorum functiones, recedentibus agricolis, velut ex utero libero procedentes: ex hoc corrigentes sancimus, secundum veterem legem *de adscriptitiis et colonis constituis agricolis, quod nascitur adscriptitium et colonum fieri*; sed si sola fuerit mulier libera constituta cum procreaverit filios, tunc ergo nullo modo patitur lædi ex hoc penitus liberum uterum, utque talis mulier tali vero sociata fuerit, neque adscriptitio, neque colonus, in hoc tantummodo casu obtinente lege. Sancimus ergo generalem legem, *ut qui ex adscriptitio et colono natus est, patris naturam sequatur*. Sic ergo et indemnitas fisco collatoribus erit P. C. In hoc ergo medentes, præsentem dispositionem disposuimus, quam observare tuam celsitudinem sancimus in omnibus Illyricanis partibus, ut non exinde deminutio aliqua dominis inferatur. Tua igitur gloria quæ nobis visa sunt per hanc legem divinam significantem effectui mancipare festinet, multa imminente decem librarum auri, qui eam violaverit, aut concesserit violandam. — Dat. sub id. april. Constantinopoli, imp. DN. JUSTINIANO Aug. anno 14 JUSTINO CONS.

CONSTITUTIO JUSTINI IMPER. DE FILIIS LIBERARUM, IN AFRICAM DIRECTA.

Imperator CÆsar FL. JUSTINUS, fidelis in Christo, mansuetus, maximus, benefactor, Alamanicus, Gothicus, Francicus, Germanicus, Anticus, Alanicus, Wandalicus, Africanus, pius, felix, inclytus, victor ac triumphator, semper Aug., Theodoro.

Die noctuque pro utilitate reipublicæ subtiliter cogitantes, illa prope renovare quanta in locis opportunis sunt necessaria, et maxime pro tributis atque redditibus, sine quibus impossibile est aliquid agere prosperum. Suggestit autem tua magnitudo maximam partem possessorum Africanæ provinciæ precibus suis intimare desolatos agros remansisse, cum divina lex²² promulgata fuisset constituens creatos ex libera matre et adscriptitio marito, liberos esse, quod contrarium est legibus antiquis: cum illæ manifeste decreverunt talem sobolem adscriptitiam esse, ex hac enim licentia filii adscriptitorum, prædia in quibus nati sunt, dimittentes, et in aliis habitantes locis, tam fiscum quam dominos

21. L. ult. C. de agricol. et censit. — 22. d. L. ult. — 23. N. 162, c. 2. — 24. Adde L. 6, C. de diversis re scriptis. — 25. Pragmatica proxima in fin. infra; N. 114, c. et in fin.; adde L. 25, §

prædiorum minuere, et hæc dicentes supplicaverunt corrigere hoc capitulum apud illam provinciam, sicut et pater noster prædictæ legislator in Illyricanam provinciam fecit constituens²³ filios, qui nascuntur ex libera matre atque adscriptitio patre, liberos esse cum suis rebus, sed tamen colonos ut non liceat terrulas ubi nati sunt relinquere, et alienas colere. His igitur nostræ serenitati suggestione tua relatis, necessarium esse perspeximus possessores subjectos nostros atque functiones publicas adjuvare. Unde sancimus in Africana provincia filios ex libera matre et adscriptitio patre productos liberos quidem esse, et res proprias habere, in ordine tamen colonorum esse, et non posse eos dimittere prædia, in quibus nati sunt, et excolere aliena, sed vicos ipsos in quibus orti sunt, cum libertate colere: sic etenim nec fiscus nec possessor læditur, neque prædicti imminuuntur, terras ubi nati sunt excolentes, Theodore parens carissime atque amatissime. Quæ igitur per hanc divinam pragmaticam sanctionem nostra sanxit æternitas, tam tua magnitudo, quam qui post te eandem administrationem adepti fuerint, una cum officio suo effectui mancipare observareque procurent. — Dat. kal. Mart. Constantinop., imper. DN. P. P. AUGUST. JUSTINI an. 3, indict. 8. Et subscriptio²⁴ imperialis, *Vale Theodore parens carissime atque amatiss. et, Quæstor legi*²⁵. — Dat. kal. Mart. CP., imp. DN. JUSTINI. P. P. AUGUST. anno 3, post consul. ejusdem DN. anno 2.

SACRUM PRAGMATICUM TIBERII AUGUSTI, DE CONFIRMATIONE CONSTITUTIONUM JUSTINI IMPERATORIS DE FILIIS COLONORUM ET LIBERARUM.

In nomine Domini Jesu Christi.

Imperator CÆsar FL. TIBERIUS CONSTANTINUS, in Christo mansuetus, maximus, benefactor, et Fl. Nob. Tiberius, Mauritius, felicissimus Cæsar, Alamanicus, Gothicus, Francicus, Germanicus, Anticus, Alanicus, Wandalicus, Africanus, pius, felix, inclytus, victor et triumphator, semper Augustus, Theodoro.

Consuetum et peculiare nostræ mansuetudinis remedium necessitatibus subjectorum nostrorum imponere cupientes, suggestionem viri beatissimi Publiciani, antistitis Carthaginensium civitatis et possessorum ejusdem Africanæ proconsularis provinciæ libenter suscepimus, per quas pragmaticam sanctionem Justini divæ memoriæ patris nostri pro conditione subolis ab adscriptitio patre et ingenua matre ad Theodorum tunc præfecturam tuam agentem ante tempus emissam firmam inlibatamque nostris etiam adfatibus constitui supplicaverunt, ut cultura terrarum permanet nulla lege vel machinatione ab ea separari valitura. Consulentes itaque conlatoribus Africanis tractus, sancimus eandem pragmaticam sanctionem, et ejus dispositionem omnibus modis ex quo data est, suas vires habere, et incertam ei auctoritatem universis dominis terrarum optulari, ut liberi procreati a matre ingenua et patre adscriptitio vel colono rusticitatem paternam cognoscant, et operibus suis consuetos redditus his quibus suppositi sunt, subministrent, deterioris quidem conditionis alieni, ipsius autem cespitis ubi nati sunt, recedere, et in aliis quibuscunque locis degere non permisiuri, Theodore parens carissime atque amatissime. Illustris igitur et magnifica autoritas tua hanc pragmaticam sanctionem in æternum valituram edictis propositis omnibus habitatoribus Africanarum partium innotescat, ut omnibus pateat, qualem pro utilitate eorum providentiam gerimus.

Et subscriptio imperialis.

Divinitas te servet per multos annos, parens carissime atque amatissime, et Quæstor legi. — Dat. 3 id. AUGUST. CP., imp. DN. TIBERII CONSTANT. P. P. Aug. anno oct. et post consul. ejus anno tertio et RS. Nob. TIBERII MARC. feliciss. CÆSAR. anno primo.

6, C. de sacros. eccles.

FINIS CONSTIT. JUSTINIANI IMP.

IMPERATORIS LEONIS AUGUSTI

NOVELLÆ CONSTITUTIONES,

AUT

CORRECTORIÆ LEGUM REPURGATIONES.

HENRICO AGYLÆO INTERPRETE.

PROEMIUM.

Rerum humanarum vicissitudo, vitæque inconstans atque multiformis status, permultis ac omne genus legibus ortum præbuit: quæ leges, quia multa multitudo ad quascunque se facile res præcedunt, quum illas sibi admovent, quidquid recte aut secus sese habeat, dijudicant. Sunt itaque tanquam custodes quidam vitæ nostræ et medici¹, dum mala, partim ne oriantur ac in communem vitam promanent, impediunt²: partim vero, quæ mala occulta sunt, insinuanterque irreperunt, eorum noxam corrigunt, ac velut radicibus vitiositatem evellunt, eamque non sinunt corroborari. Atqui earumdem humanarum rerum cursus velutque reciprocos quidam æstus, dum sursum deorsum omnia vertit ac volvit, et multa quæ recte constituta essent in pejus commutat, permulta item oblivione obruit, ut perinde ac si in rerum natura visa nunquam essent, incognita sint: non mediocrem illis labem intulit, has profundo silentio tegendo, in illis vero ut inter sese dissentiant efficiendo: idque alias, dum illi ipsi qui illas tulerunt in priore sententia ac voluntate non persistunt, verum sibi ipsi contradicunt: alias etiam, dum posteriores modo consuetudine, modo lege illis contraria sustinent, ut hinc confundi leges, nec exiguum rebus mortalium inferri detrimentum contingat, aliis cum aliis commutatis, talorumque instar huc illuc temere volentibus. Illas itaque res, ex quarum tranquillo et imperturbato statu salus reipublicæ dependet, in tanta confusione perturbatæque versari, indignum neglectu rati, quam accuratissima leges inspectione ac consideratione dignati sumus: et quas obtinere conducibile fore animadvertimus illis selectis, scripto imperatoris nostræ majestatis decreto in republica auctoritatem confirmavimus: utque controversias dijudicarent, insuper etiam sciimus: quas vero inutiles judicavimus, harum nonnullas in perpetuum silentium conjectas, decreto et ipsas a legum honore atque ordine exulare iussumus: quarum autem nullam prorsus mentionem fecimus, has etiam, hoc ipso quod earum non meminerimus, juxta atque illas in exilium ejecimus. Denique quoniam et inter receptas consuetudines nonnullas ratione non destitui, talesque quales prudens aliquis non contemnat, vidimus, has quoque legis prærogativa honestantes, ex inscriptæ consuetudinis statu ad legis imperium atque honorem eveximus. Quum ergo hæc ita a nobis comparata sint, sciat quisque quod quæ leges per scriptum imperatoris nostræ majestatis decretum auctoritatem nactæ, aut quæ consuetudines legis dignitate honoratæ fuerint: hæc et in republica obtinebunt, et controversias in se suspensas habebunt; quæ autem ab illis in contrarium vergunt, aut mentione sempiternam illis taciturnitatem injungunt, citrave hanc etiam ut quæ cum despectis ejusdem conditionis sint, eodem decore dignæ habitæ sunt: hæc vero dehinc et rejectæ et a republica exules atque extorres erunt.

PROEM. — 1. Nov. Justiniani 111, in pr. — 2. L. 7, D. de legib. CONS. I. — 3. Fec. § 3, Constitut. de Justiniano Cod. et § 5, de emendat. Codicis. —

CONSTIT. I.

QUOD UNUMQUEMQUE, QUI JUDICANDI PRÆROGATIVAM ACCEPERIT, QUEMADMODUM LEGALIUM CAPITULORUM A NOBIS HABITUS DELECTUS STATUERIT, DIRMERE CONTROVERSAS OPORTET: QUÆ VERO INTER REPROBATA¹ HABITA SUNT, UTI EX ILLIS NULLA LITIS AMBIGUITAS DIJUDICETUR.

In nomine ejus qui universo humano generi salutare leges tulit, Christi veri Dei nostri.

Imperator CÆsar FLAVIUS LEO, pius, felix, inclytus, victor, triumphator, omni ævo venerabilis, Augustus, fidelis rex, Styliano illustrissimo sacrorum nostrorum officiorum magistro.

Celeberrimi ille inter imperatores nominis Justinianus, quum animo esset erga rempublicam et optimo, et ejus utilitatem studiosiss. velut sylvam quandam, constitutiones in Romano imperio inde ab initio usque ad suam ætatem diversis temporibus editas accipiens, quo bene de subditis mereretur, industria et laboribus suis opus admiratione dignum, universarum nempe legum illam incorporationem, summa cum contentione, efficere est conatus. Si quid contrarium aut inconveniens apparet, repurgavit: ex quibus vero compositum reipublicæ ac decorum statum exiturum crederet, hæc in unum contexit, atque velut in artem aliquam informavit, quasque in una justitiæ libra, a qua justum a diverso et injusto discernetur, constituit et collocavit. Atqui (ut constat) ubique est pulcherrimum, *ut ne quid nimis*. Quum namque in multas partes divisam legum substantiam ac materiam in unum corpus tanta cum laude coagmentasset, præterea etiam quæ legalis regiminis ordinem et convenientiam sæpenumero labefactarent, in concordiam redegit: itaque quod ad hæc sola omnes sententiæ ferendæ essent, in unum consensum iudices compulisset, eosque ad pacifice judicandum, legalibus capitulis in tranquillo et ab omni contentione libero statu constitutis, inter se conciliasset: his ille non contentus, sed præstantius quippiam in reipublicæ gratiam postmodum conficere cogitans, imprudens his quæ postea statuit primum opus everit: neque alterum vituperationi non obnoxium fecit, cum ex posteriore ipsius instituto non pauca adversus prius suscitata contradictiones et controversiæ sint. Atque ad hunc sane modum ipse Justinianus a seipso vitium passus est. Certe quidem cum usque ad hodiernum diem nunc ex recentioribus sanctionibus, nunc ex inscriptis, et non aliunde quam² quod multitudini placeant auctoritatem præ se ferentibus consuetudinibus, permulta ab illo tempore innovata sint: parum abest, quin res legalis prorsus turbata confusaque sit, et communis vitæ negotia sursum deorsum subsultim ferantur. Quapropter quum si quid aliud, hoc certe quod opulatrice nostra industria et cura necessario potiat, dignum sit³ tractatum insuper et consuetudinibus quæ ad rerum gubernationem devenissent, diligenter excussis legum inter se

2. L. 32, § 1, D. de legib.